

legis) cum careret terra, dono Regis Henrici Secundi accepit filam ejus unicam cum honore ejus. Deinde Ludovicus Francus, qui à seditionis Baronibus evocatus in Angliam, alterum Gilbertum è familia de Gant gladio Comitatus Lincolniaæ cincxit; sed ejecto statim Lodovico, hunc pro Comite nemo agnovit, & ipse ultro titulum abjecit. Tunc Radulphus sextus Cestriæ Comes hunc honorem ab Henrico Tertio Rege consequutus est, qui paulo ante mortem Hawisæ sorori suæ, uxori Roberti de Quincy per Chartam Lincolniaæ Comitatum dedit quantum ad se pertinet, ut inde Comitissa existat. Sic se habent verba Chartæ. Illa itidem contulit Ioanni de *Lacy* Cestriæ Constabulario & heredibus, quos è Margareta filia sua susciperet. Ille vero Edmundum suscepit, qui ante matrem defunctus hunc honorem filio suo Henrico frumentum reliquit, qui ultimus ex ea stirpe Comes fuit. Cum enim filii ejus immatura morte præcepti essent, & tantum filiola Alicia supereisset, illam novennem Thomæ filio Edmundi Lancastriæ Comitis desponsavit ea lege, ut si ipse sine heredibus de corpore suo decederet,

aut si illi sine heredibus de corporibus suis immorarentur, ejus Castra, Dominia, &c. remanerent Edmundo Comiti Lancastriæ & ejus heredibus in perpetuum. Alicia vero ex Thoma marito prolem suscepit nullam. Sed cum Thomas maritus capite plecteretur, illa quæ impudicis moribus labeculam sibi non minimam aspergit, Eubulonem *Le Strange* quo cum familiarius vixerat, in maritum sine * Principis assensu * Edw. 2. assumpsit, qui hinc irritatus in ejus possessiones involavit. Quas omnes, cum Alicia jam grandæva diem obiisset sine sobole, Henricus Comes Lancastriæ nepos Edmundi ex filio secundo amplissimum hoc patrimonium ex forma transcriptionis, quam modo dixi, accepit, quod jam inde Lancastrensi familie accrevit. Nomine tandem Lincolniensem Comitum honoraverunt Reges Angliae, Edwardus Quartus, Ioannem *De la-pole*, & Henricus Octavus Henricum *Brandon* Suffolciensem Ducum filios, qui ambo sine sobole è vita discesserunt: & Elizabetha Regina Edwardum Baronem *Clinton*, magnum Angliae Thalassarcham eodem honore adauxit, quo ejus filius honoratiss. Henricus hodie gaudet.

Vide Du-
ces Suf-
folkiae.

O-
,
Segelo-

wood.

isfeld.

fl.

rkam.

enop.
yri-

In hoc Comitatu Parœciae sunt plus minus 630.

